UMBRA PIETATIS,
JACTA
A
SPLENDIDIDISSIMO NOMINIS SOLE,
ILLUSTRISSIMI ET EXCEL-
LENTISSIMI DOMINI,
DOMINI
JOANNIS ANDREÆ
MORSTIN,
MAGNI REGNI POLONIÆ
THESAVRARII,
GUBERNATORIS TUCHOLIENSIS, &c. &c. &c.
EXHIBENTE ILLAM, QVIA SOLEM IPSUM NEQVIT
GEORGIO WACHSCHLAGER,
THORUNIENSI.

INVICTA TEMPORUM FUGA,
QVIBUS SE COMPEDIBUS LIBERET
IMMORTALITATIS AMANS MORTALIS:
CERTUS ESSE QVÆRIT
QVANDO DUBITAT,
QVA NAM OPTIME VIA, DEVIA ERRORUM EVITET;
INPRIMIS CUM DECERNERE NITITUR:
QVO VNIVS VITÆ EXITV, ALTERIVS INCHOET PRINCIPIVM.

OMNIUM QVIPPE, QVEIS GLORIA STIMULUS, NEMO
ALIUD COGITAT,
QVAM FVGERE FAMAM INFAMIÆ;
NEQVE TANTUM SATIS,
UBI HOC MULTUM CONSECUTUS EST,
PLUS CONCUPISCIT:
VERÆ FAMÆ FALSITATE NON FALLI.

TE, **DOMINE**,
SERVITUTI ILLORUM,
QVI VERÆ LIBERTATIS BONORUM IGNARI,
IN SERVITUTIS EAM MALIS LOCANT,
JAM IN VITÆ PRIMORDIIS EXIMERE DESIIT,
ÆSTIMATRIX TUI, CONTEMTRIX ALIORUM PRUDENTIA.

TU

Anagr. NONNE STANS IN MARI HEROS,
ET VIR REGNIS AD AVRAS.

TIBI IN PROCELLA SUDUM,
INTER TURBINES VENTORUM ALIENI
FAVORIS ETESIÆ,
INTER TEMPESTATUM NUBILA SOL,
INTER FLUCTUUM AGITATOS MOTUS,
CONSCIENTIÆ MALATIA
NASCITUR.
QVIS NESCIT TUAM INTER INNAVIGABILES
SCOPULOS NAVIGANDI SCIENTIAM?
HÆC ARTIUM NAUCLERI PRIMA ET ULTIMA:
CUM MINIMA SPEI SPES HABERE MAXIMAM.
IN TERMINO SALUTIS PONERE EXORDIUM.
ET CUM MORS OBVERSATUR OCULIS, VITAM COGITARE.
QVIDNI ERGO TANTIS MERITIS MEREARE
AURAS REGNORUM?
VOLAT PER AVRAS, GRAVIS ILLIS,
FAMA TVA,
UNICUM ILLUD AUREARUM MENTIUM
AVRVM;
IMO LUTUM,
SED CUJUS PATER TITAN;
QVI DE HOC LUTO NULLI FINGIT PRÆCORDIA,
NISI QVI EXIGVO CORDE
MAGNOS VOLVIT SPIRITVS.

NOTAS INDE REMORAS ANNIS. *Anagr.*

EX QVORVM BREVITATE
SÆPE NASCITVR ÆTERNITAS,
SED CVJVS MATER OBLIVIO,
ÆQVALES HOMINVM DISTINGVENS MORTES,
TAM INGRATA, UT GRATUM SIT EVITARE
MVLTIS, ETIAM PER SCELERA.

TV DOMINE,

HVNC TIMOREM NON METVIS,
QVI VIRTVTVM STVDIO, VITIORVM ODIO,
OMNESQVE RES POSTHABENDO, UNAM ES
ASSECVTVS:
UT,
QVODVIS ÆVUM TUVM ALIORUM
SÆCVLA VOCET IN CERTAMEN.

PAVCIS DICAM MVLTA:

NEMO UNQVAM CONSTANTIORES ANNIS
NOTAVIT MORAS, QVAM CUJUS
EGREGIE FACTA JAM PRIDEM
EFFECERVNT, UT ESSET

IMMORTALIS.